

## PSALMVS CXLIII

## ARGVMENTVM PSALMI.

**E**T hoc Psalmo Propheta memorat, quomodo in tribulationibus ad Domiūm orauerit, & ab inimicis suis liberari petierit. Arbitrantur nonnulli esse illum de eodem discrimine compsitum, ad quod procedens pertinet. Haud quidem rarum est, pluribus quā vno Psalmo eadem de causa cani: verum quoniam nihil certi proponitur, vnde id asseri possit, arbitror haud conuenire, vt quicquam his affirmemus. Vulgata Latina versioni praemissus est hic titulus: Psalmus Dauid, quando perlequebatur eum filius suus Abshalom. Verum in Ebr. non habetur.

## PSALMVS DAVIDIS.

VERS. I.



**D**OMINE audi orationem meam, aures accommo da adprecationem meā: pro fide tua responde mihi, pro iustitia tua.

2. Et ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens.

3. Quoniam persequitur inimicus animam meam, prosternit ad terram vitam meam: collocat me in tenebris, instar mortuorum seculi.

4. Et perplexus est in me spiritus meus, intra me desolatum est cor meum.

5. Recordor dierum pristinorum, & meditor de omnibus factis tuis: de operibus manuum tuarum commentor.

6. Expando manus meas ad te: anima mea in terra siticulosa ad te. Selah.

7. Propera, responde mihi Domine, defecit spiritus meus: ne abscondas faciem tuā a me, & ne similis reddar descendentibus in foveam.

8. Fac me audire mane benignitatē tuam, quoniam in te spero: notam fac mihi viā, qua ambulem, quoniam ad te leuo animam meam.

9. Libera me de inimicis meis Domine, ad te protegendus confugi.

10. Doce me facere voluntatem tuam, quoniam tu Deus meus es: spiritus tuus bonus ducat me in terram planam.

11. Propter nomem tuum Domine viuifica me, pro iustitia tua educ ex angustia animam meam.

12. Et Propter benignitatem tuam dissipa inimicos meos: & perde omnes qui tribulant animam meam, quoniam seruus tuus ego sum.

**LECTIO.** Vllus viuens. ] Ebr. כל חי. id est, Omnis viuens. vt sensum planè redderem, verti: Quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens.

**Vers. 4.** Intra me desolatum est cor meum. ] Ebr. ושתומם id est, Vastatum est, desolatum est. Græc. & vulg. Lat. Turbatum est Hieron Sollicitum fuit. Pagn. Desolab. iur.

**Vers. 6.** Anima mea in terra siticulosa ad te. ] Ebr. est: גמשי בארץ עיפה לך. Græc. & vulg. Lat. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Illi legerūt: בארץ: id est, Sicut terra, בארץ: id est, In terra. Sic & Hieron & Pagn. Iustin.

**Vers. 7.** Et ne similis reddar. ] Ebr. ונמשלת: id est, Et similis reddar. manifestum autem est, voculam אל esse repetendam, ac legendum ואל נמשלת: id est, Et ne similis reddar.

**Vers. 9.** Ad te protegendus confugi. ] Ebr. אלך בסתה: id est, Ad te abscondi, obtexi: vel, Ad te obiectus sum. Græc. & vulgat. Lat. Quia ad te confugi. Hieron. A te protectus sum. Iustin. Ad te occultè confugi. Pagn. In te speraui. Felix: Ad te elamaui. Sic interpretatur & Kimhi. Felin. Apud te lateo.

**Vers. 10.** In terram planam. ] Ebr. בארץ מישור: id est, In terram rectam. Sic & vulg. Lat. & Hieron. & Iustin. Felix: In terram rectitudinis. Felinus: In viam rectam. Reliqua satis concordant.

**EXPLA-**  
**NATIO.** Domine audi orationem meam. ] More suo principio id petit à Domino, vt orationem suam audire, sibiq; respondere dignetur. Et ne id suo aliquo merito poscere videatur, addit: Pro fide tua, pro iustitia tua: id est, pro bonitate tua. Sic etiam Græca scholia exponunt. Iustitiam hinc, inquit, benignitatem Dei dicit. Et hoc multis locis videri potest.

**Vers. 2.** Et ne intres in iudicium. ] Et hoc versu satis patet, non esse, quod dixit, Pro iustitia tua responde mihi, de iustitia iudiciaria intelligendum, sed de bonitate ac benignitate Dei. Quomodo enim iudiciariam iustitiam imploraret, cum disertè hinc iudicium Dei deprecetur, dicens: Et ne intres in iudicium cum seruo tuo: rationemq; hanc adijciat: Quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens? Significat hac iudicij deprecatione Propheta se non propriæ iustitiæ respectu hoc petere à Domino, vt sibi respondeat, sed magis ad bonitatem ac clementiam illius confugere, qua sibi, si quid vnquam deliquerit, clemēter ignoscatur. Etenim fieri non posse, vt ipse in iudicio Dei subsistat, & iudicis omnium exactissimè iudicantis conspectum ac sententiam ferat: coram quo nemo mortalium sic reperitur innocens, vt iustificari: id est, innocens & iustus pronūciari queat.

**Vers. 3.** Quoniam persequitur inimicus animam meā. ] Apertit hoc versu causam suam, propter quam ad Dominiūm confugiat, & in qua se audiri, responsūq; accipere petat. Inimicus, inquit: id est, Shaul cum suis, persequitur animam meam, prosternit ad terram vitam meam, collocat me in tenebris instar mortuorum seculi: hoc est, in id incumbit, ad hoc me persequitur, vt vitam meam proculcet & extin-